



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum**

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatae, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Svmmarivm Homiliæ Septimæ Seqventis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53012)

Vatis Iaelis, præmissis enim multis iisque gra-  
uioribus diei iudicij considerationibus, tandem  
Iael 2.12. his terrificis verbis finit: *Magnus dies Domini,*  
*& terribilis valde, & quis sustinebit eum?* cuius  
hæc ea est mens, vt præueniamus, & tam hor-  
renda damna fugiamus: quocirca addit: *Nunc*

*ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto*  
*corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu &c.*  
Dominus igitur, vt ita faciamus nobis suam  
concedat gratiam superfluentem, vt illa mu-  
niti, in die illo tremendo audire mereamur. *Veni-  
nite Benediciti &c. Amen.*

# S V M M A R I V M

## HOMILIAE SEPTIMAE SEQUENTIS.



**S**TENDIT nobis præsens Euangelium duo impleta, olim prædicta per  
Vatem Habacuc, quæ Christi miraculorum lux clarissima efficeret.  
Primum: cælos obnubilare. Secundum: terram illuminare a. Pri-  
mum patet: illustrioribus enim Christi miraculis excæbatur sacer-  
dotes, & Doctores, quos cælos dixeris, ob status sui excellentiam, &  
obtenebrabantur, dum inquirunt, *Quis est hic?* b. & mentis inuidencia seipfos depaf-  
cuntur, Christi que gloriam student obnubilare c. Secundum patet in eo, quod po-  
pulus (id est terra) iisdem Christi miraculis ita illustratur, vt eorum conuincat nequi-  
tiam d & iniquitatem, quam paulo aute perpetrarant, dum eum morti adiu-  
cant e. iisque declarat; hanc sententiam illis vertendam in perditionem f. Ingressus  
Christus ciuitatem, congruenter recta tetendit ad templum g. vbi malitia Religio-  
nem mutauerat in sacrilegium h, & sub titulo Dei, ac sacrificiorum, furta committe-  
bantur i: Ibi Christus omnes curauit infirmos: est enim domus eius, domus salu-  
tis k. Maximumque operatus est prodigium, à Dauide præcantatum, nimirum lau-  
des puerorum l.

n §. 1.

b §. 2.

c §. 3. 4. 5.

d §. 6.

e §. 7.

f §. 8. 9. 10.

g §. 11. 12.

h §. 13. 14.

i §. 15.

k §. 16.

l §. 17.

§. 1. Impletur hic prophætia Habacuc, quod  
lux Christi oporit cælos, & illuminat ter-  
ram.

§. 2. Aspernatoria fuit hæc Iudaorum interro-  
gatio. *Quis enim proprium est querere.*  
*Quis est hic?*

§. 3. Fornax inuidiæ pectus est diaboli, pro-  
inde illam non vidit D. Ioannes inter ea,  
quæ sunt in mundo.

§. 4. Inuidia peccatum est occultum: Ex duo-  
bu cognoscitur effectibus, cordis & lingua  
commotione. *Quis est hic?*

§. 5. *Videre est in Saul binos hos effectus in-  
uidiæ, quem spiritus nequam exerucia-  
bat.*

§. 6. Populi dicebant. *Per ignorantem po-*

pulum confundit Deus sapientes, & trans-  
mutat cælos, & terram.

§. 7. Populi dicebant. *Conuincit Deus ex  
ore populi Principes, vt iniquos iudices. Sic  
autem iudex, vt sponse nasus.*

§. 8. Hic est Iesus, præmonet Principes ore  
populi Dominum, quod si Christum perde-  
rent, & vitam suam perderent.

§. 9. Propheta. In memoriam reuocat Deum  
his Principibus, ex ore plebû; id quod de  
Christo per M ysen prædixerat.

§. 10. Hoc egit Deus Principibus per os po-  
puli, id quod egerat per os asina cum Ba-  
laam.

§. 11. Intrauit in Templum *Recta tetendit  
Christus ad templum, veniebat enim sacri-  
ficiandus,*

- ficandus; & doctus Episcopus, in quo er-  
ruit Theophilus Alexandrinus.
- §. 12. Eticiebat omnes &c. In Reipublica  
salutem, purgatur templum: hoc enim est  
corporis huius stomachus.
- §. 13. Vendentes & ementes. Adductio a-  
nimalium circa templum, bonum habuit  
principium: porro de bono educimus ma-  
lum.
- §. 14. Speluncam latronum. Latrones e-  
rant hi, quos D. Cyprianus vocat honora-  
tos, & Amos vicinos pomorum, sanguisu-

- gas, qui perdunt Rempublicam.
- §. 15. Speluncam latronum: Deum illi  
sumebant nequitia sua pallium, ipsis peiores  
Sodomitis: sufficiunt illam virtutis orna-  
mento.
- §. 16. Sanavit eos. Omnes infirmos curavit  
Christus in templo: locus enim est omnibus  
misericordia, ut dixit David.
- §. 17. Numquam legistis: Ex ore infan-  
tium &c. Maiorem vim habuit vox in-  
fantium; quam Danielis; quam ut talens  
expendit propheta rex David.

# H O M I L I A VII.

## DE INGRESSU IN HIERUSALEM.

Primo die Martis Quadragesimæ.

*Cum intrasset Iesus Ierosolyman, commota est vniuersa ciuitas, dicens:  
quis est hic? Matthæi. 21.*



**A**RRAT nobis vitæ Chri-  
sti commentator D. Mat-  
thæus, eius in urbem Hier-  
osalem ingressum ipso die  
Palmarum: tanto celebrem  
triumpho, præclaris accla-  
mationibus, & perillustri  
gloria solemnem, ut su-  
premi Principes, & Reipublicæ gubernatores  
obscurearentur; Magna (fateor) fuit illa maiestas  
ac gloria, quâ Christus ipso Transfigurationis  
die apparuit gloriosus; autamen fuit hæc sub  
modo solemnior. Illa enim fuit in monte scorsim  
& solitariè, hæc in totius orbis illustrissimo fo-  
ro, ciuitate nimirum Hierusalem. Tunc eius  
lateri Moyses & Elias sociantur, cum eo collo-  
quentes; nunc latus eius ciungunt Apostoli, &  
stipat discipulorum, ac innumerabilis populi  
multitudo. Ibi melos iam ei decantat Angelo-  
rum chorus; Hic puerorum vagientium, & à  
matrum vberibus suspensorum laudes insonat,  
& benedictionibus acta replet multitudo. Au-  
ditatum fuit Paterna de celo vox testificans

de filio suo: Modo de terra in caelum *Regnant  
per nubila voces.* Lego ibi discipulos nimio ti-  
more visionis prostratos, Principes Ecclesiæ, hu-  
ius vocis tonitru percussos: hic lego Principes  
synagogæ turbatos, perterritos, & tanta caligi-  
ne circumfusos, ut nec Christum præsentem  
agnoscant, inquirant quæ. *Quis est hic?* Illa hora  
erat, in qua secretam haberi voluit gloriæ suæ  
visionem. *Nemini dixeritis visionem.* In hac vero, *Matt. 17.*  
toti mundo vult esse notissimam: ad hoc enim in  
omnium oculis triumphator intravit ciuitatem:  
spectant eum ingredientem ipsi Iudeorum  
Principes, qui paucis ante lapsis diebus eum  
morti addixerant, & voce præconis proclamaue-  
rant, ut si quis sciret, vbi esset, indicaret, ut in-  
uicerent illi manus & ad effectum perducerent  
factam iam pridem resolutionem: hunc intuen-  
tur modo turbati, conterriti, in eius præsentia  
tremuli, & quasi lethargici: querunt *Quis est  
hic?* Deinde coram eis, & tota urbis synagoga  
templum adit tanquam domum sibi propriam,  
& quam etiam hoc nomine compellat audien-  
tibus ipsis sacerdotibus *Domus mea,* & se gessit,  
P p i